



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An Simonia mentalis obliget ad restitutionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

hic in poenam admiffæ Simonix re fpirituali taliter fibi comparatâ, privati poffit. &c.

§. IV.

An Simonia mentalis obliget ad restitutionem?

TRES sunt hac in re sententiæ. Prima absolute negat obligationem restitutionis, si mentalis tantum Simonia commiffa fit, dato quidem temporali, & accepto fpirituali, sine pacto tamen, aut signo exterius Simoniam manifestante, cujus sententiæ fundamentum videtur *c. Mandato 46. h. t.* ubi dicitur fufficere in tali casu, si delinquentes per suam poenitentiam suo Creatori satisficiant. Secunda distinguit, & concedit restitu-

tionis obligationem in casu Simonix mentalis jure divino prohibita, non autem in casu Simonix mentalis, que committitur contra jus Ecclesiasticum tantum, cum in illo casu ad acquirendum dominium reddatur inhabilis Simonicum pretium accipiens, non autem in hoc casu. Neutra tamen hæc sententia placet, cum neutra satis efficaciter probetur, vel certe nimis univertaliter probetur. Tertia proinde sententia probabilior est, quæ distinguit, utrum pretium in tali Simonia mentali Simoniacè acceptum, annexam habeat de jure naturalis injustitiam, vel utrum Simoniacè eisdem, non tamen injustè acceptum sit, in illo priore casu admittit obligationem restitutionis, non autem in posteriore casu, ob rationem supra allegatam.

TITVLVS IV.

NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

§. Unicus.

An, & sub qua pœna prohibitum sit Prælati Ecclesiasticis, vices suas, id est, jurisdictionem suam, sub annuo censu, sive pretio concedere? & an etiam proventus Ecclesiarum sub annuo censu locari possint?

DE priore questione agitur in *c. Præterea 1. h. t.* ubi prohibetur Episcopis sub pœna privationis vendere pro certa pecunie quantitate suam jurisdictionem Episcopalem, cum hæc jurisdic-

tio sit spirituale quid, & consequenter sine Simonia pro pretio temporali vendi non possit; quæ tamen Simonia non committitur ab Episcopi Vicario, & constituto, ut vice Episcopi jurisdictionem exerceat, si ab Episcopo salarium accipiat, cum hic pro eo, quod hæc suas operas Episcopo, salarium aut stipendium pro his accipere possit. Videtur etiam *c. Quoniam 2. §. 1. h. t.*

De posteriore questione agitur in *c. Querelam 4. h. t.* ubi concedi videtur antiquum Decretalium jus attendendo